Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Venit nocte decius una cum ualeriano prefecto pretorii ad termas. iuxta palatium salustii. et iussit sibi beatum laurentium offerri. Tunc cepit ypolitus tristis plorare. Cui beatus laurentius dixit. Noli flere. sed magis tace et gaude. quia uado ad gloriam. R. Leuita laurentius bonum opus operatus est qui per signum crucis cecos illuminauit et thesauros ecclesie dedit pauperibus. V. Dispersit dedit pauperibus iusticia eius manet in seculum seculi. Et thes.

Tunc dixit ypolitus. Quare et ego non uociferor quia christianus sum. ut tecum occumbam. Beatus laurentius dixit. Magis in absconditis in homine interiore absconde christum. et post dum clamauero. audi et ueni. R. Puer meus noli timere quia ego sum tecum dicit dominus dum transieris per ignem flamma non nocebit te et odor ignis non erit in te. V. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et odor.

Et cum hoc dixisset: iussit decius cesar omne genus tormentorum ante tribunal suum parari. plumbatas. fustes. laminas. ungues. lectos. batillos. et sedit in termis pro tribunali. Adducitur nocte ante decium cesarem et ualerianum prefectum beatus laurentius. Cui ita dixit cesar decius. Iam depone perfidiam artis magice. et dic nobis generositatem tuam. R. Strinxerunt corporis membra posita in craticula subicientibus prunas exultat leuita xpisti beate laurenti martyr xpisti intercede pro nobis. V. Carnifices uero urguentes ministrabant carbones subter cratem ferream. B.

Beatus laurentius dixit. Quantum ad genus hyspanus sum. eruditus et nutritus romanus. et a cunabulis christianus eruditus omnem legem sanctam et diuinam. Decius cesar dixit. Uere diuinam. quia nec deos recolis. nec tormenta pauescis. Beatus laurentius dixit. In nomine domini mei ihesu christi tormenta tua non pauesco. nec metuo. R. Quo progrederis sine filio pater quo sacerdos sancte sine diacono properas tu numquam sine ministro sacrificium offerre consueueras. V. Quid in me ergo displicuit paternitati tue numquid degenerem probasti experire certe utrum idoneum ministrum elegeris cui commisisti dominici corporis consecrationem. Tu numquam. ii. N. Strinxerunt corporis membra posita super craticulam ministrantibus prunas exultat leuita xpi.